



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Ephrem Syrus. 1. Februarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

I. Feb. VITÆ SANCTORVM. 67
 nomen; breve quidem tam angusti monumenti,
 sed longè pulcherrimum Epitaphium. Ex Sur. &
 Metaphr.

*Electuarium habes reconditum in vasculo vocabulē
 hujus, quod est JESVS, salutiferum certe, quodq; nulli
 unquam pesti tua inveniatur inefficax. Semper tibi in
 sinu sit, semper in manu; quò tui omnes in JESVM sen-
 sus dirigantur & actus.* S.Bern.serm.15.in Cant.

S. EPHREM SYRUS. 1.Februarii.

Forte fortunā EPHREM puer in buculam of-
 fendit fœtu gravidam. Hanc ubi crebrā lapi-
 datione confecit, dominum insuper ejus obvium,
 & perquām amicē de bove rogitantem convitiis
 oneratum dimisit. Haud multò pōst cùm eandem
 viam relegeret, deprehensus à tenebris, mapalibus
 vicinis successit; noctu cùm lupi gregem diripuis-
 sent, pastores damnum furibus adscriperunt, &
EPHREMVM velut proditorem vincitum ad Præto-
 rem abduxerunt. Hic ille inter longam carceris
 mortem cùm menses aliquot exegisset, à tutelari
 demūm Angelo, revocatā in memoriam buculā,
 edoctus est, errare quidē hominū subsellia posse,
 sed non DEI etiam tribunal; ut quod de vero cri-
 mine justissimas quandoque sub alienæ culpæ no-
 mine pœnas exigat. Itaque cùm exiturū se mūn-
 do vovisset, si carcere liceret, paulò pōst voti
 damnatus in eremum contendit; illīc cùm pro-
 triti pudoris femina insidias castitati ejus tende-
 ret, & innocentem animum ad infanda pellice-
 ret; EPHREM piè callidus non difficilem se fore
 adsimulavit, si in frequenti foro facinus patrare
 animus ei esset. Erubuit quamvis impudens pro-
 stibulum, & an, inquit, in oculis omnium peccare
 non

non vereberis? Tum enimverò ille; & tu adeò frontem exues, &, ubi ubi fueris, illum omnia vi-dentem cæli *Oculum* non exhorresces? Audivit, resipuit, & oculum Dei deinceps semper in oculis suis mulier habuit. Utinam cum illâ nos etiam! minus anguli peccarent. Ex *Metaph.* & *Baron.*

Si Deus tecum non est per gratiam, adest per vindictam: sed v& tibi si ita tecum est; Imò v& tibi, si ita tecum non est; illi namq; irascitur Deus, quem peccantem non flagellat: nam quem flagellando non emendat, in futuro damnat. S.Bern. in *medit.c.6.*

S. BRIGITTA V. 1. Februarii.

VNum sed maximum miraculum BRIGITTA tota vita fuit. Omnia cùm in miseros erogaret, nihil tamen ex omnibus desiderabat. Sed neque post furta quidquam decedere visum est degrege, quem pascebat; imò huic aper ferus accedere, & innoxius inter armenta agere. Vulpes quoque feritatem ponere jussa, ut eandem Rex ponet, qui homini, quòd aulæ delicias vulpem alteram imprudens occidisset, necem parabat. Jam aqua in cervisiam, lapis in salem versa, pauperum subsidio. Porrò oculos procorum ut virgo effugeret, id lacrimis à Deo impetravit, ut oculi fœdum effuerent. Sed sic Christi oculis illa placuit, in cuius manum cùm inter velatas virginis conveniret ad Aram, Ara, quò florem BRIGITTA laudaret, frondere visa, oculisque decor suus redire. Sed & aliis oculos restituit. Ex his virginis ita volenti cæcitatem denuò exoravit; cùm supplicium hæc crederet non videnda videre, diceretque tunc etiam cùm videret, nihil se in toto orbe vidisse. Felicius linguam aliis solvit. Ita mutam ad eum diem